



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Reverentia templorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

amentiam versus sit: itaque gladio districto in gregem pecorum insiliit, existimans sese Græcorum copias cedere. Tum duos quosdam maximos suos à trabe suspensos flagris cecidit, arbitrans, hos esse Agamemnonem atque Ulysssem; quorum alteri ut judici, alteri ut victori potissimum erat iratus. His igitur suis plurimo cum risu insultavit, addens convitia, quæcunque suggererat splendida bilis. Deinde postquam respuisset, partim pudore, partim metu, sibi mortem conscivit. Unde adagium: *Ajaxis risus*, quod non importunè torquebitur in eos, quibus risus oboritur nulla de causa, quem vulgò dicunt insanix, atque stultitix argumentum. Item in homines mortiferis voluptatibus gaudentes, brevi perituros: aut qui malefactis gaudent, mox pœnas daturi: aut qui cum Ajace videntur sibi ex ultione inimicorum gaudium peperisse; cum suo se configant gladio, dum in horrendam vindictæ Divinæ incurrunt manum.

### Ethicè.

I. (a) Ajax, Oilei filius, sacrilego stupro templum Palladis violavit, ejusque flagitii meritas pœnas dedit. *Exspiravit transfixo pectore flammis*, ut intelligas, supplicium respondisse peccato. Transfixus antè cupidinis sagittis, & impuris incensus ignibus, postea luit, flumine trajectus ibi, ubi turpiter arserat, scilicet in pectore, amoris lascivi sede. Si hoc in profanis idolorum delubris tam graviter vindicatum, quid dicemus de reverentia templis vero Numini consecratis debita? De quibus psal. 92. *Domum tuam decet sanctitudo*. Et Joannes Apocal. 22. *Foris canes, & venefici, & impudici*. De his orator aureus Multi, inquit, ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam in Ecclesiam veniunt. Tum assurgit: non miraris, quomodo undique fulmina non deferuntur: quomodo cuncta funditus non evertuntur? hæc enim non fulminibus solum, sed gehennæ supplicio dignissima sunt. Pergit porro & percontatur: *Quid facis homo; mulieris speciem curiosius in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis, tanta Dei templum afficiens contumelia? Prostibulum tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior?* Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari; in Ecclesia verò Dei, cum ipse DEUS te alloquatur, & ab istis deterreat, eo ipso tempore maximè, fornicatione & adulterio uteris, quo tibi magna voce intonatur, ut ab his

(a) Reverentia templorum.

his fugias; nec horrescis, nec stupes? Hæc S. P. homil. 24. in Matth. Non minùs acriter Hieronymus in Sabinianum quendam invehens, detonat: Infelicissime mortalium! tu speluncam illam, in qua filius Dei natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? Non times, ne de præsepi infans vagiat, ne puerpera virgo te videat, ne mater Domini contempletur. Angeli clamant, Pastores currunt, stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur; & tu in cubiculum Virginis, decepturus virginem irrepis? Paveo miser, & tam mente, quàm corpore perhorresco, ponere tibi volens ante oculos *opus tuum*. Et paulò post, insolito quodam eloquentiæ, non tam flumine redundans, quàm fulmine incandescens: pro nefas! inquit, non possum ultra progredi: prorumpunt lacrimæ, antequam verba: & indignatione pariter, ac dolore, in ipso meatu faucium, spiritus coarctatur. Ubi mare illud Eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demosthenes? Nunc profectò muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Inventa est res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum est facinus, quod nec scurra ludere, nec Atellanus possit effari. Epist. 48. in Sabin. Quis non factum illud Adriani Imp. prorsus sacrilegum detesteretur? Qui ut Natalitii Christi antri religionem demoliretur, in eo statuam Adonidis erexit? *ut in specu* (loquor cum Hieronymo) *ubi Christus parvulus vagiit, Veneris amasus* plangeretur. Huc facit, quod narrat Basilius Seleuciæ quondam Præsul lib. 2. de miraculis S. Theclæ cap. 16. Dies agebatur Divæ Martyri Theclæ sacer, non majore frequentia populi, quàm religione. Sed uti fieri solet, magna in turba multos trahit pietas, multos curiositas. Ex hac tribu duo Irenopoli advenerant, qui sacris in templo solenniter peractis, cum festam diei celebritatem multis extollerent laudibus, (quod enim pectus tam agreste est, cujus fibræ sacri apparatus decore non moventur?) alter eorum Orentius nomine, non minùs spurcè loquens, quàm sentiens, prædicet, inquit, quisquis voluerit festivitas hæc pompas, & lætabilem diem; una res perplacuit mihi, quàm è templi odèo despiciens, præ omnibus aliis suspexi. Feminam sum intuitus, pro quantum formæ miraculum! nihil mihi musca; nihil ornatus sacræ ædis, nihil oratoris eloquentia, prout sola hæc delictum super omnem ambrosiam, & nectar fuit: nihil erat magis cordi, quàm Divam ut Theclam exorarem, quò efficeret, hac ut mihi forma liceret frui. O pulchras preces, non à cælo, sed tartaro audiendas! Et ve-

rò minimè surdus fuit Orcus. Postea enim, quàm plures ejus generis contribules satis in caupona genio suo litârunt, vinôque graves & somno, cubitum concesserunt, solus Orentius quanquam largo pocanio invitatus, quietem capere non potuit, desiderio scilicet abreptus voti sui potiendi. Nec distulit Orcus conferre, quod petebatur. Objicitur homini species S. Theclæ, throno aureo insidentis & munera cultoribus suis impertientis. Inter quos cum non postremum se crederet Orentius, expectabat nempe dontum optatis suis conveniens. Videbatur audire Theclam dicentem: nosse se, quid adamaret, iret porrò & desideratum munus, elegantem feminam duceret domum. Hic ille gestire gaudio, & suam jam Paris novus Helenam spe devorare. Vix effluxerat hora, cum exoptata Venus adest, accedit, amplectitur, amores suos osculatur. Quid beatius Orentiô? Dum cupitis inhæret amplexibus, ecce tibi Venus repente in terribilem Harpyiam mutata, vipereos pro crinibus ungues, flammeos pro osculis oculos, horridos pro complexibus expedit ungues, crudeliterque in amatorem suum involans, cutem infelici Marfyæ à capite ad pedes deripit, tantoque fœtore ac vermium squalore opplet, ut cæteri, qui in eodem cubiculo quieti se commiserant, horrore & avernali mephite semianimes, ubi reddita luce ad se redierunt, quodque naribus hauserant, insuper oculis inspexerunt, exemplo tam tristi edocti, castius deinceps & reverentiùs Cœlitum & templorum honores statuerint habere. Terreant alios quoque, hæc speratæ religionis documenta, & Ajaces ac Orentios non pectore tantum, sed toto corpore tartareas flammæ expirantes non imitentur in scelere, si nolunt sequi in supplicio. Poëta monet:

Castæ placent superis, casta cum veste venite.

Neque veste tantum, sed etiam, & potissimum, *mente*.

II. (b) Ajax Telamonius ab Ulyssæ in judicio victus, præ ira insanians in pecora defecit, ratus Ulyssæ cum sociis se interficere. Ita multi iracundia, odiôque correpti, ac velut æstro perciti, bestias pro hominibus, homines pro bestiis habent; nec rarò innocentes judicant esse nocentes. Sic canis in lapidem sævit, quem aliena manus projecit. Juxta Poëtam Lyricum: *Ira furor brevis est*. Seneca brevem insaniam vocat. Cato iratum ab infano, non nisi tempore distare affirmat. Nam ut furentium certa sunt indicia, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementiùs acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant & mi-

(b) *Iracundia cæcus furor.*